



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

Invictissimo Et Avgvstissimo Cæsari Ferdinando II. Romanorvm Imperatori

...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

INVICTISSIMO ET AVGVSTISSIMO  
CÆSARI

FERDINANDO II.  
ROMANORVM IMPERA-  
TORI P. F. P. P.

GERMANIÆ, HVNGARIÆ, BO-  
HEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLA-  
VONIÆ REGI, &c.

ARCHIDVCI AVSTRIÆ,  
DVCI BVRGVNDIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ,  
CARNIOLÆ, WIRTEMBERG. &c.

*J. Capueinori* COMITI TYROLIS, &c.  
*paderbornenſium*

**I**nter ingentes curas Christiano or-  
be maiores, INVICTISSIME CÆSAR;  
nec minores successus, felicitatem,  
gloriam; quas cum pari pietatis stu-  
dio, in Maiestate Vestra vniuersus orbis admira-  
tur, & deprædicat: apporto ego, ex Ingolstadiensi  
agro, colonus, exiguam sportulam, ac leuidense  
munus: quale olim etiam magnos Reges à rustica  
manu oblatum non respuisse, veteres ac recentio-  
res historiæ collaudant; non tanquam fesso sola-  
tium; sed vt victori & triumphatori hostium, re-  
belliumque domitori, gratulantis animi exiguum  
symbolum.

Non ego is sum, neque locus hic patitur, AVGV-  
STISSIME CÆSAR; vt Maiestatis Vestræ, vel aduer-

DEDICATIO.

fus hostes ac perduelles, triumphos ac trophæa, vel  
 in Ecclesiam vniuersam, ac totum Romanum Im-  
 perium, Societatemque nostram vbiuis locorum,  
 præclara merita commemorem: quibus explican-  
 dis neque integra librorum volumina, neque vlla  
 Oratorum ingeniorumque disertissima vis par ef-  
 se possit. Satis est, hæc publica sciri; mihi priuata  
 loqui.

Scio, quod olim, in floridiore ætate, assiduâ fre-  
 quentatione Maiestatis Vestræ, ac studio, per in-  
 tegrum quinquennium continuato, nobilitatum  
 fuit Ingolstadij LYCÆVM, GYMNASIVM, COLLE-  
 GIVM; eorum memoriam & affectum, necdum pe-  
 nitus ex animo Maiestatis Vestræ oblitteratum ef-  
 fe: ita ingenti dignatione, lætam ac libentem deijs  
 meminisse, ipse præsens comperi: tanquam sibi  
 tanta Maiestas gratularetur, post tot annos denuo  
 conspicere aliquem, qui & studiorum Ingolstadij  
 testis, & in eadem politicæ disciplinæ palæstra, si  
 fas est dicere, colluctator fuisset.

Sed & prostat etiamnum hodie, in æde sacra In-  
 golstadiensis Collegij, præter auro, argentóq; inter-  
 texta altarium stragula, Græcio transmissa, vastum  
 illud in honorem S. Crucis splendidè erectum  
 ALTARE, quod ab auro Maiestatis Vestræ magni-  
 ficè fulget. Exstat in Academiae ærario eiusdem  
 Maiestatis Vestræ, Ingolstadio valedicentis AV-

REVM

## DEDICATIO.

REVM DONVM; Austriacæ munificentia non ignobile monumentum. Exstant in Archiuo Gymnasij nostri illa QVINQUENNALIVM emblemata, exigua illa quidem, sed vera tamen laudum plurimarum, ac meritorum eius in Academiam Ingolstadiensem symbola, quæ olim ex studijs, ad capessendum paternum sceptrum, feliciter abeuntem profecuta, etiamnum subinde à benignissimis, serenissimisque Maiestatis Vestrae oculis, velut à sole splendorem accipere dicuntur.

Hæc Maiestatis Vestrae aduersus Ingolstadtium, Collegiumque nostrum, gratiosissimi fauoris ac munificentia clarissima documenta, (vt taceam, quantum progressu temporis, cum ætate, potentia, & gloria Maiestatis Vestrae, in vniuersam Societatem nostram beneficentia creuerit, nullius vnquam facundia fatis collaudanda) exstimularunt animum meum diu cunctantem, vt auderem conditione mea maiora.

PRIMUM scilicet TOMVM quadripartiti operis Theologici, quod dudum meditatum, & iam tunc ab anno M. DC. XVIII. tragico illo quidem, sed iam nunc, quæ Dei gratia est, in lætam catastrophem verso, inter armorum tumultus, Viennæ Professor moliri cœperam; sed auocante armis inimicâ Pallade, Ingolstadij Deo bene iuuante absolui, Maiestati Vestrae humillimè offero, dico.

D E D I C A T I O.

confecro : si opellam quidem à me collatam spectare libet, exile munus, & dantis conditioni ad-  
mensum: at si argumentum, quo de agit, nulli post-  
ponendum, & humana quavis Maiestate su-  
perius.

De Deo nimirum vno, trino, Conditore, & Mo-  
deratore rerum omnium agit, eiusque tum cæte-  
ras perfectiones, tum imprimis admirabilem  
PROVIDENTIAM ob oculos ponit: quæ, uti Scri-

*Sap. 8. 7. 1.*

ptura loquitur, *attingit à fine usq. ad finem fortiter, & disponit o-*  
*mnia suaviter: quæ prout iustum arbitratur, mortificat &*  
*vivificat; deducit ad inferos, & reducit: humilia respicit, & alta à longe*  
*cognoscit.* Quæ etiam ipsissima est origo, tam FÆLICI-

*1. Reg. 2.*

*7. 6.*

*Psal. 137.*

*7. 6.*

TATIS & GLORIÆ Maiestatis Vestræ, quam euer-  
sionis & ignominix hostium ac perduellium; qui,  
ut infidis quondam fratribus placidissimus re-

*Genes. 50.*

*7. 20.*

spondebat Iosephus, *cogitarunt* quidem, & machina-  
ti sunt aduersus Maiestatem Vestram *malum*, imò  
exitium; sed *Deus vertit illud in bonum* ut & magis exaltaret  
ipsam; sicut in presentiarum gratulabundi cernimus; & saluos fa-  
ceret multos populos. Ille scilicet Deus est, qui æquissi-

*Luc. 1. 7.*

*52.*

*Eccles. 10.*

*7. 17.*

mâ suâ providentiâ *deposuit potentes de sede, & exaltauit humi-*  
*les: qui sedes Ducum superborum destruxit; & sedere fecit mites pro eis:*  
*radices superbarum gentium arefecit, & plantauit humiles ex ipsis genti-*  
*bus.* Ut discant omnes, *potestatibus sublimioribus subditi*

*Epist. Iud.*

*7. 8.*

esse & *dominationem non spernere, nec Maiestatem blasphemare;*  
sed ut par est, debitis obsequijs colere & venerari.

Hanc ergo, INVICTISSIME CÆSAR, Diuinæ pro-

uiden-

DEDICATIO.

uidentia ac gubernationis summam æquitatem, in bonos benignam, aduersus arrogantes ac proteruos horribilem, fontem omnis veræ fælicitatis, ego Maieſtati Veſtræ contemplandam humillimè offero: non quod meos labores in his rebus exponendis positos, Maieſtatis Veſtræ oculis dignos exiſtimem; ſed quia dignus eſt ille MAGNVS DEVS, cuius honori ac gloriæ, etiam è minimis rebus promouendæ, omnis humana gloria ac Maieſtas deſeruiat: optima ſpe fretus, Maieſtatem Veſtram hoc gratulationis obſequium, ab humillima mentis veneratione profectum, pro ſua, quam etiam hoſtes experiuntur, clementia ac lenitate, non aſpernaturam. Nos viciffim DEVM OPTIMVM MAXIMVM enixe precabimur, vt Maieſtatis Veſtræ gloriam ac fælicitatem non ſolum perpetuam eſſe velit, ſed etiam quotidie maioribus incrementis amplificet. Ingolſtadij è Collegio Societatis IESV, ipſo fauſto feſtòque Epiphaniæ die, Anno M. DC. XXVI.

*Maieſtatis Veſtræ*

*Inſimus ſeruus*

ADAMVS TANNER.